TENTAMEN INAUGURALE
DE
AFFECTIBUS ANIMI:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATTHÆUS JACOBUS CHAPMAN,
EX OCCIDENTALIBUS INDIS,
COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.
SOCIET. PHYS NOSOC. GUY. SOC. HONORAR.
ET
REG. SOCIET. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.
NECNON
PRÆSES ANNUUS.

Hard Fate! which makes men, in despite
Of nature, and their stars, to write.——HUDIBRAS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
1820.

Jacobo Blundell M D, Art: Obst: et
Physiolog: prælectori præclaro, hocce
tentamen observantiâ summâ donat
Auctor. –

PATRI CARISSIMO

JOANNI CHAPMAN, M. D.

QUO NEMINI MELIOR,

SOLI PENE AMICO,

CUI, QUICQUID EXOPTANDUM VITA PRAEBEAT,

UNICO DEBET;

HANCCE DISPUTATIONEM,

INDIGNAM SANE,

SUMMA PIETATE

SACRAT

FILIUS.

NECNON

VIRO OPTIMO,

CAROLO SMITH BIRD,

ARMIGERO,

COLLEGII SANCTISSIMAE TRINITATI DICATI CANTABRIGIENSIS

SOCIO,

QUEM, MEI FORTASSE OBLITUM,

JAM PUERO MIHI SODALEM,

ADOLESCENTI AMICUM

REMINISCOR;

CUJUS IMAGO CUM FELICISSIMIS OPTIMISQUE DIEBUS

TAM ARCTE SOCIATUR

UT VIX UNQUAM, IMO PECTORE REPÔSTA,

EVANESCERE POSSIT,

QUEM NON MINUS INGENIO

QUAM VIRTUTIBUS PRAECLARUM

PROBI COLUNT ET DILIGUNT,

HASCE PAGINAS

DICO

AUCTOR.

Who hath put on
The armour of divine Philosophy,
And hath become the *master* of *himself*,
Is truly happy; him no fears disturb,
No idle dreams disquiet; life glides on,
Unvexed by the fitful gusts of Passion;
Serene amid the tempest, unalarmed
Amid the shock of warring elements;
To vice superior, yet of humble mind,
The master of his passions, not their slave,
He keeps the even tenour of his way,
By faith and hope supported.

M. J. C.

Felix ille animi, divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Solicitat, non fastosi mala gaudia luxus.
Sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuae tranquilla silentia vitae.

Volusenus.

TENTAMEN INAUGURALE

DE

AFFECTIBUS ANIMI.

AUCTORE MATTHÆO JACOBO CHAPMAN.

NATURÆ opera sunt varia, et miranda. DEUS ubique adest, aut Tonans, aut Ridens, aut Sublimis, aut Simplex.

Materia mundi in varia genera, aut regna dividitur. Quaedam vitâ carent, quaedam eâdem pollent. Plantae solùm vivunt: Animalia et vivunt, et moventur, et sentiunt. Caeteris animantibus Homo praepollet; cui sanè omnia alia serviunt, et obsequuntur.

Homini contingit machina mirificè constructa, quam animus nobilis implet, et dirigit et illustrat. Inter corpus et animum est quaedam concordia; quo pacto autem haec concordia efficiatur, nescimus. "Nimirum, quae "homini data sunt, bina actionum systema-"ta, alterum menti cum corpore commune, "alterum si non merè corporeum, certe a "conscientia semotum; etsi diversis legibus "reguntur, contubernalia tamen in uno cor-"pore sunt; ac mirabili commixtione per "singulas partes diffusa, instrumentis inter "se contiguis, connexis, aut et communibus "gaudent, viribusque animantur aut iisdem, "aut inter se consentientibus.*" Sic etiam scribit Philosophus Fernensis. "Quelle "mécanique incomprehensible a soumis les "organes au sentiment, et à la pensée? "Comment une seule idée douloureuse dé-"range-t-elle le cours du sang, et comment "le sang à son tour porte-t-il ses irrégulari-"tés dans l'entendement humain? Quel

---

* Gaubius Institut. Pathologicae.

"est ce fluide inconnu et dont l'existence "est certaine, qui plus prompt, plus actif "que la lumière, vole en moins d'un clin "d' oeil dans tous les canaux de la vie, pro- "duit les sensations, la mémoire, la tristesse "ou la joie, la raison ou le vertige, rappelle "avec horreur ce qu'on voudrait oublier, et "fait d'un animal pensant ou un objet d'ad- "miration, ou un sujet de pitié, et de lar- "mes? *"

Quaedam naturae leges explicari possunt, sed plurimae investigationem fugiunt. Sapientis est, ut non conetur fines Naturae, a Deo ipso appositos, transgredi. Animi leges penè ignoramus. Philosophus, qui nova sidera, eorundemque orbes detegit, atque idiota infelix; poeta atque colonus; imperator atque servus; Atheniensis atque Æthiops pariter nascuntur,

"Perbreve ver florent, protenus inde cadunt."

---

* L'Ingenu, Chap. xx.

Animus est in corpore insitus; cum ejus vigore viget, atque roboratur ejus robore; immortalis de vitâ pendet, et corruptionis expers corruptioni jungitur. Animus est qui viget, qui praevidet, qui sentit, qui post mortem vivit. Proprietates materiae non habet, ideoque immaterialem esse credo.

Ea vox "animus" intellectum et voluntatem complectitur. Hâc motus, sive affectus continentur; ille ingenium, memoriam, intelligentiam et imaginationem comprehendit. Mens tam arcto nexu cum corpore sociatur, ut absque sensibus quinque, et rerum externarum actionibus non possit existere. Nihil sub sole est novum. Pomum ab arbore lapsum NEWTONO leges siderum gubernatrices patefecit. Italiae facies poetica hortum Paradisiacum MILTONO inspiravit.

Res variae in partu et incremento et decessu animi motuum agunt: qui equidem dissident pro sexu, aetate, caelo, atque cujusque temperamento. Nemo unquam sine

affectibus quibusdam vixit. "Nemo mor-"talium qui affectibus non ducatur: qui "non movetur, aut saxum aut deus est.*" In nobis quaedam vis vivida inest, quae otium contemnit, atque animum implet desideriis permultis. Caelo et consuetudine mores hominis valdè afficiuntur, at potissimum consuetudine. Monticolae camporum incolis robore et virtute praestant. Caeli adspiratio et corpus et animum afficit. Sana corpora non omnibus horis, diebus, aut quibusvis tempestatibus paritèr valent: tametsi inter res non naturales, quibus obnoxia sunt, nullam quandoque invenias, cui id tribuere possis, praeter atmospherae vicissitudinem. Animus quoque eandem legem servat.

Omnes ad quosdam morbos aut affectus aut desideria propensi sunt; atque excitatio hujus propensionis aut repressio characterem constituit. Sic motus animi oriuntur. In quibusdam, ignibus Vesuvii, fulmen pertur-

---

* Lommius De Occult. Nat Mir. L. I. c. 16.

bationum aestuat; in aliis affectus secundo defluunt amne. Fraena et stimuli animi, velut in mari quaedam aurae lenes, quae et placidae, quaedam turbulentae: sic in corpore quaedam affectiones excitant tantùm, quaedam ita movent, ut de statu salutis depellant. Juventas est interdum modesta; atque senes non semper animum fraenant. Non solum est Ætna, quae "stat "nive candidum," dum flammae penetralia torquent. "Animi imprimis affectus, ira, "gaudium, moeror, metus, amor, odium certos motus in musculis excitant, praesertim "vultus; quo fit ut singuli sese in ore exprimant, plusquam Phidiaca arte; diuturni, et graves, et saepe repetiti fortius "et constantius depinguntur, difficillime "delendi: hinc saepe iracundiae imago, ubi "nulla ira est; hoc fundamento nititur ars "Physiognomonis.*"

Animalia instinctu divino afflatuque sunt

---

* Gregorius, Conspect. Med. Theoretic.

praedita, et ita instructa bona assequi, noxia vitare possunt. Primae hominis jam nati actiones belluinas referunt; facultatibus enim mentis et corporis nondum evolutis, sensus reflexi istam non habent vim, quam, provectioribus vitae humanae studiis, exercere solent. Potestati in corporibus animantibus, harum primarum actionum genetrici et rectrici, nomen "instinctus" inditum est. Haec potestas agendi inter omnia animalia manifestè apparet: atque diversitatem perinsignem, et variis vitae modis ac formis ortam, praebet. Inter genus humanum, et belluinum hoc maxime interest. Bellua non nisi instinctu quodam instruitur: Homo non solum hunc habet instinctum, sed etiam rationem. Bellua nascitur perfectior; homo se perficit. Simul ac vivit vitae munia diligenter bellua exsequitur. "Infantes de ope "nostra, ac de divina misericordia plus me-"rentur, qui in primo statim nativitatis suae "ortu plorantes ac flentes, nil aliud faciunt "quam deprecantur.*"

---

* Cyprian Epist.

Animus, quodam desiderio impressus, ad varias corporis partes—nempe functionem ad quam desiderium spectat, impressionem pervehit.

Amor proprius omnes nostras actiones dirigit. Hoc amore animi motus se semper sociant.

Animi motus in duos ordines dividuntur; nempe qui ad bonum assequendum ducunt, et qui ad malum persequendum hortantur. Sic elementa aut amoris aut odii detegimus.

Nunc de effectibus, quos singuli animi affectus edunt, paucis disputare consilium est; et de illis, qui amore uti principio nascuntur, primo disserendum.

DE AMORE, ATQUE AFFECTIBUS QUOS PARIT.

Amor est istud principium pene divinum, quod implet desiderio boni perfruendi, vinculis concordiae devincit, et omnia vitae gaudia praebet. Huic munditias, ornatum, leporem, delicias, omnem denique voluptatem debemus.

Amor mundum fecit; omnia percurrit, et ubique adest. Torques aurea est, qua orbes siderum universi nectuntur; lenimen est vitae; Spes ab illo oritur; nutrix est Fidei; Charitatum choris se sociat.

Amor est delectatio cordis ad aliquid, propter desiderium in appetendo, et guadium perfruendo, per desiderium currens, requiescens per gaudium. Est affectus, qui

docet quid pulchrum sit et utile et jucundum et honestum, quid amandum, quid assequendum, quo cum re amata aut consociamur, aut consociationem perpetuamus. In tota rerum natura nihil divinius est, nihil augustius, nihil preciosius, cujus vires hinc facilè intelliguntur.

Hoc principio amoris divino plurimi affectus gignuntur. Cum amicorum bonâ fortunâ gaudemus, aut eorum mala ploramus, ridentibus ridentes, atque flentibus flentes, affectione movemur, cui nomen *Sympathia* datur. Hac nemo caret. Daemones soli nec amant quemquam, neque ab ullo amantur.

Cum miserias alterius moerore contemplamur, et levamus, aut levare volumus, nostra pectora implet *Benevolentia*. Sic Poeta,—

> "Homo sum, humani nihil a me alienum puto."

Cum nos homines, feras, pisces, aves, denique omnia naturae opera amamus atque

admiramur, nos sumus animi divini participes. Cognatio est naturae, et quasi concentus atque consensus, oriens a sensu Pulchritudinis eximio.

Hoc principio consectando impuberes etiam "philautiâ" agentes, inveniemus. Inest in animo impetus, quo fertur in ea, quae, quod vel bona, vel mala, vel insolita sint, saltem talia videntur, placent, displicent, aut percellunt. Infantes etiam innocui sic consocios et benefactores amare docentur. Sic oritur, me judice, filii amor erga parentes, fratris erga fratres. Hic amor fraternitate et beneficiis gignitur et alitur, et illos valdè amamus, qui nos in nostrâ infantiâ, inamabiles et debiles amavêre, et servavêre.

"Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem;
"Matri longa decem tulerunt fastidia menses;
"Incipe, parve puer, cui non risere parentes,
"Nec Deus hunc mensâ, Dea nec dignata cubili est."

Ex amoris variis speciebus nulla mihi videtur tam casta, tam pura, tam amabilis

quam sororis amor. Nos qui sit amor istorum, qui in curiis Dei vigent perpetuò, anticipatione docet.

Amicitia est iste affectus, qui commodorum convenientiae cuidam originem debet; sed tela est ita tenuis, ita delicata, ut commodis suis studere minime videatur. In proverbium cessit amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse. Oh dulcissimi laquei! qui ita feliciter devinciunt, ut etiam a vinctis deligantur; et qui vincti sunt, cupiunt arctius deligari, et in unum redigi. Amicitia pura, incorrupta et immista raró, si unquam, invenienda est.

Amor inter *sexus*.---Communis omnium animantium est conjunctionis appetitus ad procreandum sobolem.

"Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque,
"Et genus aequoreum, pisces, pictaeque volucres
"In furias ignemque ruunt; amor omnibus idem."

Indigne vivit, secundem hanc legem naturae, per quem non vivit etiam alter.

In hominibus hic affectus constat ex desiderio, quod corpora jungit, atque etiam de consensione quadam, quae animos devincit. Libido et amor maxime inter se discrepant. Hic est homini ratione praedito, illa belluis ratione expertibus.

Omne pulchrum est amabile; et pulchritudo saepissime amorem gignit. Pulchritudo ex debitâ totius proportione, aptâque partium compositione constare fertur. Foemina est pulcherrima rerum; "forma nitida, teres, amabilis et apta premi." Non est formosa mulier, cujus crus laudatur et brachium, sed illa, cujus simul universa facies admirationem singulis partibus dedit. Sed amor est caecus, et illam saepe amabilem pingit, quam natura non amavit. Pulchritudo ipsa, per occultos radios in pectus amantis dimanans, amatae rei formam inscul-

pit. Nemo amore capitur, nisi qui fuerit ante formâ specieque delectatus.

Gratia est soror Pulchritudinis; atque duae ita suaviter animos demulcent, ita vehementer alliciunt, nexuque tam arcto consociantur, ut invicem discerni vix possint; et sunt tanquam radii et splendores divini Solis in rebus aliis rationibus aliis fulgentes; sed quum puellam, viro tempestivam, ornant et perficiunt, quis potest illis resistere?

"Ludit amor sensus, oculos perstringit, et aufert
"Libertatem animi; mirâ nos fascinat arte.
"Credo aliquis daemon, subiens praecordia, flammam
"Concitat, et raptam tollit de cardine mentem."

Absque desiderio amor non potest existere. Cum aliquis, se amorem Platonicum quemdam sentire et colere, gloriatur, risum teneatis, amici? Credo equidem hosce virtutis mimos decem animas potius quam potestatem procreandi, perdere voluisse. Iste amor corporeus, qui solùm ad desiderium spectat, animum inquinat et deprimit et de-

format; sed iste, qui gaudia sensus spernit, atque voluptates spiritus tantum quaerit, fabula est impudentissima.

Res variae amorem promovent, quales sunt morum suavitas, obvia comitas, prompta officia, risus aut lachrymae, atque illecebrae sine numero; haec sunt arma, quibus mulier experta utitur ad homines debellandos. Libido juventâ gignitur, luxu nutritur, feriis alitur, otioque inter laetae fortunae bona. Praecipue debellant solitarios, deliciose viventes, et religiosos. Vina animos Veneri parant. Nox et amor et vinum nihil moderabile suadent. Non Ætna, non Vesuvius tantis ardoribus aestuant, quantis juveniles medullae, vino plenae.

Amor corpus relaxat. "When we have "before us such objects as excite love and "complacency, the body is affected much "in the following manner: The head re- "clines something on one side; the eye-lids "are closed; the eyes roll gently with an

" inclination towards the object; the mouth
" is a little opened, and the breath drawn
" slowly, with now and then a low sigh;
" the whole body is composed, and the hands
" fall idly to the sides. All this is accom-
" panied with an inward sense of melting
" and languor. From this description, it is
" almost impossible not to conclude that
" Love relaxes the whole system *."

Amor *infelix* est orcus ipse, morbus immedicabilis, rabies insana,—

" Ut intabescere flavae
" Igne levi cerae, matutinaeque pruinae
" Sole tepente, solent; sic attenuatus amore
" Liquitur, et caeco paulatim carpitur igni."

Et melius poetarum princeps:

" She never told her love,
" But let concealment, like a worm i' th' bud,
" Feed on her damask cheek: she pined in thought,
" And, with a green and yellow melancholy,
" She sat like Patience on a monument,
" Smiling at Grief."

---

* Burke's Essay on the Sublime and Beautiful.

Amor autem *felix* est caelum in terrâ, omne quod est optandum et perfruendum:

> " Felices ter et amplius,
> " Quos irrupta tenet copula, nec ullis
> " Divulsus querimoniis,
> " Supremâ citius solvit amor die."

Audi etiam naufragii poetam:

> " Oh ye, whose melting hearts are formed to prove
> " The trembling ecstacies of genuine love;
> " When with delicious agony the thought
> " Is to the verge of high delirium wrought:
> " Your secret sympathy alone can tell
> " What raptures then the throbbing bosom swell—
> " O'er all the nerves what tender tumults roll,
> " While love with sweet enchantment melts the soul."

Amor patriae est affectus, qui nos arctissime alligat ad istam terrarum orbis portionem, ubi lumen Phoebi laetum primò vidimus. Scoti et Helvetici huic praecipue inserviunt; et dehinc illos nostalgiae maxime obnoxios invenimus. De recognitionibus infantiae, gaudiis juventae, et dignitate annorum provectiorum pendere videtur. Amicitia, pietas, primus amor, superbia, denique

consuetudo patriam reddunt charam. TULLIUS eximius de hac re ita facundiâ summâ scripsit. "Haec est mea, et hujus fratris "mei germana patria: Hic enim orti stir- "pe antiquissimâ sumus, hic sacra, hic ge- "nus, hic majorum multa vestigia. Hanc "vides villam, ut nunc quidem est lautius "aedificatam patris nostri studio, qui cum "esset infirmâ valetudine hic fere aetatem "egit in literis. Sed hoc ipse in loco cum "avus viveret, et antiquo more parva es- "set villa, ut illa Curiana in Sabino, me "scio esse natum. Quare inest nescio quid, "et latet in animo et sensu meo, quo me "plus hic locus fortasse delectet: Siquidem "etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut "videret, immortalitatem scribitur repudi- "asse."

Amor erga prolem vinculum est, quo natura ita foeminas cunctorum animalium devincit, ut non pullos deserere possint. Mares hoc sensu plerumque carent; homine solo forsan excepto. Nusquam est invenien-

dum spectaculum tam bellum, tam spectandum quam mater tenera et amabilis infantem in gremio tenens, et fovens, et nutriens. Notiones pictorum de pulchro duci feruntur de sinu et mammis mulieris formosae: et constat gremium esse pulcherrimum, lacte plenum, tumens, quod labellum infantis vix jam hians solicitat.

Spes est ille gratus animi sensus, quo, ex boni futuri prospicientiâ, voluptate fruimur.

Gaudium est ista delectatio, quae pectus implet, cum non solum adamamus, sed etiam potimur.

Superbia, desiderium, gratus animus, admiratio, aequanimitas, et veneratio sunt hujus principii varietates. Alios affectus hujusmodi enumerare longum esset.

Dissertationis meae hanc sectionem finiam verbis HOMERI nostri:

"Love leads to heaven, is both the way and guide."

DE ODIO, ATQUE AFFECTIBUS QUOS PARIT.

Eodem instinctu, qui nos ad jucunda et utilia amanda et assequenda incitat, etiam ad ingrata et noxia evitanda ducimur. Omnia animalia sunt plus minusve hâc facultate praedita; quae est admodum necessaria, quò multa ista venenata et noxia, undique circumfusa, vitare possìmus. Haec ratio delectus fons est amoris et odii; bona eligimus et mala rejicimus.

Odium est amori contrarium; cum adest lac benevolentiae acescit; omne jucundum fit ingratum; flores Charitatum marcescunt, et lyra Spei modos discordes edit. Odium vero, secus atque amor, neque omnium hominum commune est, nec semper pectora exercet. Benevolentia per vitam; malevo-

lentiâ solum perstat, dum causae excitantes manent. Ut crabro in ultionis operâ aculeum relinquit, sic qui oderint, se semper laedunt.

De affectibus quibusdam hoc principio sociatis, dicendum est quam brevissimè possim.

Metus est sensus minimè gratus, quo cruciamur, ubi res terribilis aut adest, aut ventura esse videtur. Forsitan nulla est miseria major quam metus. Mentem aeque ac corpus debilitat et solvit; sanguinis motus languescit; gelidus sudor aliquando prorumpit; ora formidine pallent; genua intremiscunt; vox deficit et vires ex toto resolvuntur. Urina et faeces interdum inscie elabuntur.

Desperatio est aegritudo animi metu, aut malâ fortunâ vexati, sine ullâ expectatione rerum meliorum.

Timor mortis de incertitudine quâdam ori-

tur. Moribundi sunt valde soliciti, quia sortem futuram nesciunt.

" Ah, but to die, and go we know not where
" To lie in cold obstruction, and to rot;
" This sensible warm motion to become
" A kneaded clod; and the delighted spirit
" To bathe in fiery floods, or to reside
" In thrilling regions of thick-ribbed ice:
" To be imprisoned in the viewless winds,
" And blown with restless violence round about
" The pendent world; or to be worse than worst
" Of those that lawless and incertain thoughts
" Imagine howling!—'tis too horrible!
" The weariest and most loathed worldly life
" That age, ach, penury, and imprisonment
" Can lay on nature, is a paradise
" To what we fear of death."

Cum mens injuriâ acceptâ movetur et ulciscendi desiderio, *Ira* eam perturbare dicitur. Hic animi motus praesidium est, quo natura ad injurias arcendas utitur, et cunctis animalibus commune est. Ira est furor brevis, qui tantos fluctus excitat, ut statim adsit tempestas saeva. Oculi exardent; facies aut rubet, aut pallet; os tremit; lingua ti-

tubat; dentes concrepant; cutis corrugatur; cor, arteriae et venae concitantur; nova vis accedit artubus; totum corpus exagitatur. His signis cessantibus corpus fit debile et languidum. Interdum ira desinit in mortem aut insaniam.

Mœstitia est perturbatio animi, rebus adversis aut spe obrutâ exoriens. Mala vera valde augentur; consolatio amicorum ingrata est, et loca deserta ad paroxysmum mitigandum maxime valent. Cor quasi percussum constringitur, tremit, et languescit cum acri sensu doloris; corpus frigescit; calor innatus extinguitur; cibi fastidiuntur; aeger noctu vigilat; et si moestitia diu perstat, haec signa aucta veram *melancholiam* inducunt. Hic affectus interdum est fictus; eos scilicet afficit qui donis Fortunae Bonae admodum abundant.

> "Non enim gazae, neque consularis
> "Submovet lictor miseros tumultus
> "Mentis, et curas laqueata circum
> "Tecta volantes."

Invidia est tristitia de bonis alienis, et gaudium de adversis. Ægri vultus est minax; torvus aspectus; vultus pallet; labia tremunt; homo dentibus stridet; totumque corpus emacrescit. Infelicem hic affectus urit, torret, cruciat. Reliqua vitia modum et finem habent; ira defervescit; gula satiatur; odium finem habet; sed invidia nunquam quiescit.

> " Pallor in ore sedet; macies in corpore toto:
> " Nusquam recta acies; livent rubigine dentes;
> " Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
> " Risus abest, nisi quum visi movere dolores:
> " Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis;
> " Sed videt ingratos, intabescitque videndo
> " Successus hominum."

Suspicio, zelotypia, animus ingratus, auri fames, apathia, contemptus, &c. eidem principio subjiciuntur; sed " ne quid nimis."

QUÆDAM DE EFFECTIBUS ANIMI MOTUUM.

Affectus animi saepe morbos inferunt aut tollunt; alii motum cordis et arteriarum stimulant, alii sedant.

Vita ac valetudo commercio, quo mens cum corpore consociatur, admodum afficiuntur; et multa vitia corporis equidem hoc fonte exoriuntur. Medici est periti tales causas, quamquam abditas, exquirere; legesque et actionem mentis in corpore intelligere permagni interest.

Illi animi motus, qui jucunditatem conciliant, exinde mentis et corporis actiones concitant. Exemplo sit amor, vel gaudium, quae vultum rubefaciunt. Illi contra animi affectus, qui angunt, vel ingrati sunt,

protinus actiones omnes infirmant; nisi equidem mens ad renitendum incitatur: quod si ita se habet, fieri potest ut singulae actiones excitentur. Hinc timore pallor et frigus, irâ rubor et ardor enascuntur. Spes, amor, ira sunt stimuli; metus, suspicio et invidia functiones corporis varias debilitant et impediunt.

In gaudio quaedam vis inest, per quam respiratio fit liberior, circuitus sanguinis expeditior, omnisque secretio auctior; sed ubi immodicum est aut improvisum, insania et interdum apoplexia lethalis accidunt.

In amore signa non sunt absimilia, sed desiderium protractum et spem obrutam languor, anorexia, chlorosis, melancholia et mania non rarò sequuntur. Cum foeminae amore infelici tentantur, praeter effectus qui utrique sexui contingunt, quibusdam sui propriis laborant; menstrua saepe reprimuntur, et nonnunquam nymphomania accenditur.

Ira et nervos, et vasa sanguifera, et musculos exagitat; hinc furor, inflammationes, febres ardentes, et apoplexia accedunt.

Odium ac livor maciem et cachexias inducunt.

Moestitia genus nervosum labefactat; cursum sanguinis tardat; motus voluntarii fatiscunt; oculi sunt hebetes; respiratio impeditur, et pulsus arteriarum fiunt debiles. Hic affectus desinit in icterum, atrophiam et melancholiam.

Timor et anxietas urinam movent. Timor etiam alvi fluxum saepe gignit: quinetiam efficit ut vultus palleat, et artus intremiscant. Idem animi motus intulit cordis palpitationem, dyspepsiam, choream, epilepsiam, et hysteriam.

Res est notissima caesariem ex improviso caesiam factam esse perterritis vel moestis. Cuidam summis animi et corporis do-

tibus beatae, quam pater et maritus praelio occisi orbam reliquerint, paucis diebus caesaries ex aterrimâ et pulcherrimâ caesia fiebat. Hinc constat quantum animi affectus glandes afficiunt: constat enim huic mulieri oleum illud, quod capillos colorat, secerni desiisse.

Notatu dignum est, animi motibus contristantibus affectos prae aliis opportunos esse, qui in morbos pestilentes inciderent.

Subinde animi motus icterum moliuntur: potissimum ira et invidia.

De his effectibus animi motuum, quomodo mens per commercium cum corpore, morbos gignere possit, satis constat.

Quod ad morbos, qui vitiis functionum corporis exoriuntur, parum eos intelligimus; sed minus de istis, qui primam originem de vitiis animi ducunt. Eximius foret equidem—

"Who could minister to a mind diseased;
"Pluck from the memory a rooted sorrow;
"Raze out the written troubles of the brain;
"And, with some sweet oblivious antidote,
"Cleanse the foul bosom of that perilous stuff
"Which weighs upon the heart."

FINIS.